

rificatur hæc Oratio in Anniversariis late sumptis ; sed sumitur una ex Orationibus diversis pro pluribus defunctis ; scilicet : vel Oratio pro defunctis Episcopis et Sacerdotibus, si pro ipsis Anniversarium celebratur (cfr. Q. 321, B, 2) ; vel Oratio pro defunctis fratribus, propinquis et benefactoribus (cfr. ibid. n. 9), vel una alterave ex duabus Orationibus pro pluribus defunctis (cfr. ibid. nn. 11, 12), vel Oratio pro omnibus Fidelibus defunctis (cfr. ibid. A, 1). — Infra Octavam Omnium Fidelium Defunctorum vero, si pro uno defuncto celebratur Anniversarium late sumptum, dicitur Oratio conveniens pro defuncti dignitate vel qualitate (cfr. ibid. nn. 1 ad 8).

§ 3. De Missis quæ aliquando Anniversaria vocantur, sed talia non sunt

Q. 368. Indica quædam Anniversia, vulgo ita nomina-ta, quæ nullum privilegium habent. Quid pro his facien-dum est ?

R. I. Non raro fit, quod pro defunctis Missæ fun-dantur, vel petuntur, sub nomine Anniversarii, quæ dotes et qualitates Anniversarii, tum stricte, tam late dicti non habent.

Talia sunt Anniversaria fundata non pro die obitus neque pro alio certo et determinato die, sed celebranda in tali aut tali mense, circa tale aut tale Festum ; etiam fundata sine aliqua præfixione dierum, et prorsus indeterminata quoad diem celebrationis.

Talia sunt etiam Anniversaria non fundata, petita a consanguineis, aut amicis, non recurrente die obitus, vel depositionis, sed circa redeuntem obitus diem, de-terminatum juxta petentium commoditatem.

Tales fundationes, tales Missæ carent notis Anniver-sarii, tum stricte, tum late dicti ; et non possunt vocari Anniversaria, neque stricte neque late.

II. Rubricæ et Decreta quæ Anniversariis privilegia concedunt, hujusmodi Missis, vel fundatis vel petitis, non favent ; de iis enim lex omnino silet ; ipsæ assimilantur ergo Missis de *Requiem* quotidianis, quarum nor-mas debent sequi.

Consequenter sine Indulto celebrari nequeunt, nisi iis diebus quibus Missæ privatæ, seu quotidianæ de *Requiem* permittuntur. Ita S. Rituum Congregatio re-scripsit, quod « Missæ cantatæ de *Requiem*, a defunctis relictae sine præfixione dierum, debent celebrari diebus a Rubrica permissis. » (Decret. 23 Augusti 1766, n. 2482, antiq. 4336, ad 1.)

Missæ de *Requiem* tertia, pro Anniversariis inscripta, potest quidem sumi ; Orationes vero in his Missis requiruntur tres, ut in Missis de *Requiem* quotidianis ; et non potest primo loco dici Oratio ex tertia Missa pro Anniversario ; hæc enim in casu non congruit ; sed debet pro prima Oratione sumi Oratio, vel pro defuncto, vel pro defuncta, vel pro defunctis, quæ magis convenit, sicuti pro Missis quotidianis præscribitur quando celebrantur pro defunctis determinatis. (Cfr. Q. 325, 5°.)

ARTICULUS VI

DE MISSIS DEFUNCTORUM QUOTIDIANIS

Q. 369. Quænam Missæ de *Requiem* vocantur « quoti-dianæ Defunctorum » ? Quis est earum ritus ?

R. I. Missæ quotidianæ Defunctorum vocantur illæ Missæ de *Requiem* quæ celebrantur, sive cum solemnitate extrinseca, sive in cantu, sive privatim, extra dies solemnies seu privilegiatos Defunctorum ; scilicet extra diem Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, diem Obitus seu Depositionis, diem tertium, se-ptimum et trigesimum, diem Anniversarii, vel stricte vel late sumpti, et diem quo celebratur Missa post accep-tum nuntium de alicujus obitu. (Cfr. Q. 312.)

Aliquando in Rubricis et in Decretis, ac apud aucto-res, istæ Missæ vocantur etiam Missæ de *Requiem* pri-vatæ ; intellige, respectu earum quæ in diebus sole-mnibus seu privilegiatis celebrantur ; non autem quasi privatim absque solemnitate extrinseca aut cantu fo-rent celebrandæ ; nam, ut dictum fuit, solemniter et in cantu celebrari possunt, etiamsi sensu exposito priva-tæ sint ; quemadmodum illæ quæ in diebus Defuncto-

362 (Q. 370) De Missis quotidianis

rum solemnibus celebrantur, etiamsi aliquando possint tantum legi seu privatim celebrari, nihilominus aliquo modo scilicet intrinsece, solemnies vocantur et sunt.

II. Jam dictum fuit (Cfr. Q. 312), Missas istas quotidianas Defunctorum censeri ritus simplicis; dum aliæ, quæ dicuntur in diebus Defunctorum solemnibus, consentur esse ritus duplicitis. Et quando occasione earum celebrationis dicendum est Officium Defunctorum, recitatur hoc Officium absque duplicatione Antiphonarum, aliisque observandis pro diebus Defunctorum solemnibus.

Q. 370. Quibus diebus prohibentur istæ Missæ quotidianæ Defunctorum?

R. Missæ de *Requiem* quotidianæ, seu privatæ prohibentur sequentibus diebus:

- 1º In Festis duplicitibus quibuscumque;
- 2º in Dominicis omnibus;
- 3º infra Octavas privilegiatas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi;
- 4º in Vigiliis privilegiatis Nativitatis Domini, Epiphaniæ et Pentecostes;
- 5º a) in Feriis privilegiatis, quæ sunt Feria quarta Cinerum, et Feriæ omnes Hebdomadæ Sanctæ;
- b) in Feriis Rogationum, scilicet II, III, et IV ante Festum Ascensionis Domini; non generatim, sed in iis Ecclesiis in quibus fit Processio, et in quibus præter Parochum nullus alias adest Sacerdos; quia ibi Parochus tenetur exsequi Officium Rogationum.

Insuper in Ecclesiis ubi fit Statio in Processione Rogationum, etiamsi per Decreta non prohibeatur, tamen non convenit, die Stationis celebrare Missas de *Requiem* quotidianas. (Decret. S. Congregationis Indulgentiarum, 11 Aprilis 1864, n. 404; cfr. Votum Consultoris in Ephemeride: Acta Sanctæ Sedis, I, 1865, pag. 42.)

6º Exposito SS. Sacramento, ad Altare Expositionis; et SS. Sacramento solemniter exposito, seu ob publicam causam, ex. gr., in Adoratione perpetua, vel tempore Orationis quadraginta Horarum, ad omnia Altaria Ecclesiæ.

De Missis quotidianis (Q. 371, 372) 363

NOTA. Permittuntur itaque Missæ de *Requiem* quotidianæ:

1º In Festis ritus semiduplicis et simplicis; sub quo nomine Festorum etiam intelliguntur Officia Votiva per annum, quando sunt ritus semiduplicis;

2º in diebus infra Octavas omnium Octavarum communium; quando Officium fit de die infra Octavam, aut de Festo semiduplici;

3º in Vigiliis minoribus;

4º in Feriis omnibus, etiam majoribus, quæ non sunt privilegiatae; cum exceptione tamen particulari supra indicata pro Feriis Rogationum.

Numerus dierum per annum, in quibus permittuntur Missæ quotidianæ Defunctorum, singulis annis differt, ratione mutationis annuæ Litteræ Dominicalis, et ratione mobilitatis Festi Paschatis seu potius Cycli Paschalisi. In Kalendario Archidiocesis Mechiliensis computantur dies liberi per annum circiter 80; qui numerus in variis Dioceseos locis minor etiam aliquando erit, ratione Festorum particularium, ex. gr., Patroni aut Titularis, quæ ibi celebrari debent.

Q. 371. Quæ Missa de *Requiem* sumitur pro Missis quotidianis Defunctorum?

R. Pro quotidianis Missis, seu pro omnibus Defunctorum Missis, quæ aliis diebus celebrantur quam iis qui pro Defunctis solemnies seu privilegiati sunt, sumitur ex quatuor Missis de *Requiem* quæ in Missali describuntur, Missa quarta, quæ inscribitur: *In Missis quotidianis Defunctorum* (cfr. Q. 312). Attamen in eis poterit observari quod dicit Rubrica specialis posita post hanc Missam, scilicet: *Epistolas et Evangelia ex aliis tribus Missis similiter in hac quarta dici posse* (cfr. Q. 315).

Q. 372. Quot, et quæ Orationes, et quo ordine dicendæ sunt in Missis quotidianis Defunctorum?

R. « In Missis quotidianis quibuscumque, sive lectis, sive cum cantu, plures sunt dicendæ Orationes, quarum prima est pro Defuncto, vel Defunctis certo designatis, pro quibus Sacrificium offertur, ex iis quæ in Missali habentur, secunda ad libitum, ultima pro omnibus Defunctis.

« Si vero pro Defunctis in genere Missa celebretur, Orationes sunt dicendæ, quæ pro Missis quotidianis in Missali prostant, eodemque ordine, quo sunt inscriptæ.

« Quod si in iisdem quotidianis Missis plures Cra-

BIBLIOTHECA CATHOLICA
364 (Q. 373) De Missis quotidianis

tiones Celebranti placuerit recitare..... id fieri potest tantum in Missis lectis, impari cum aliis præscriptis servato numero, et Orationi pro omnibus Defunctis postremo loco assignato. »

Ita præscribit Rubrica Missalis Romani (Tit. V, n. 4), reformata 11 Decembris 1897, post Decretum S. Rituum Congregationis diei 30 Junii 1896 (n. 3920).

Ulterior hujus Rubricæ expositio, pro Orationibus in Missis quotidianis de *Requiem*, data fuit Q. 324, 5^o et 6^o, et Q. 325, 5^o et 6^o.

Q. 373. *Quid notandum est de Missis de Requiem, quæ celebrantur in sepulcretorum Sacellis?*

R. I. Romæ, in Italia, et in quibusdam aliis regionibus, non raro construuntur in sepulcretis, seu coemeteriis parva Sacella super sepulchrum alicujus particulatis defuncti, aut super sepulchrum commune alicujus familiæ, vel Religiosæ communis; munita Altari portatili, in legitima distantia a cadavere disposita: quæ Sacella sunt Oratoria privata, usui publico non aperta, in quibus membra familiarium possunt assistere Sacrificio inibi celebrato ex Indulto particulari.

Per Decretum 19 Maii 1896, ratum habitum et confirmatum 8 Junii 1896 (n. 3903), S. Rituum Congregatio, ad juvamen fidelium defunctorum, et ad spirituale solatium vivorum, quoad Sacella particularia decrevit:

« In quolibet Sacello sepulcreti, rite erecto vel eriendo, Missas, quæ inibi celebrari permittuntur, posse esse de *Requiem*, diebus non impeditis a Festo duplice vel 2 classis, a Dominicis, aliasque Festis de præcepto servandis, necnon a Feriis, Vigiliis, Octavisque præscriptiis. »

Notandum est, quod per hoc Decretum non datur permisso celebrandi Missas in quocumque Sacello sepulcreti; sed conceditur in hujusmodi Sacello, rite erecto vel eriendo, Missas lectas, quæ inibi jam ex Indulto particulari celebrari permittuntur, quibusdam diebus posse celebrari de *Requiem*. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, X, 1896, pag. 681.) Missæ inibi non possunt celebrari nisi lectæ, cum hæc Sacella, uti dictum jam fuit, sint Oratoria omnino privata.

De Indulto Missarum de « Requiem » (Q. 374) 365

Privilegium igitur in hoc consistit, quod, dum Missæ quotidianæ de *Requiem* prohibentur in aliis Ecclesiis et locis, in Festis duplicibus majoribus et minoribus, permittuntur celebrari lectæ in Sacellis sepulcretorum, in iisdem Festis, dummodo Indultum celebrationis Missarum sit concessum.

Cæterum, Missæ de *Requiem* inibi celebratæ, nisi dicantur in diebus solemnibus seu præscriptiis Defunctorum, sunt ritus simplicis, sicut Missæ quotidianæ Defunctorum, et iisdem ac istæ regulis omnino reguntur, quoad numerum, qualitatem, et ordinem Orationum.

II. In nostra Diœcesi rarissima sunt hujusmodi particularia Sacella, de quibus supra agitur; sed in quibusdam ex nostris coemeteriis, quæ non existunt circa aut juxta parochiales Ecclesias, constructum reperitur ad usum coemeterii Oratorium quoddam, quasi dependentia coemeterii, in quo nonnumquam exstat etiam Altare portatile, et ex Indulto speciali possunt Missæ celebrari.

Per Decretum 12 Januarii 1897, rescripsit S. Rituum Congregatio, quod privilegium circa Missas lectas de *Requiem*, concessum Sacellis sepulcreti, favet etiam Oratorio publico ac principali ipsius sepulcreti. Ibi igitur quoque poterunt legi Missæ de *Requiem* in Festis duplicibus majoribus et minoribus.

Non autem favet dictum privilegium illis Ecclesiis vel Cappellis, quæ extra coemeterium sunt constructæ, et subter quas ad legitimam distantiam, nempe unius metri ab altari, alicujus defuncti cadaver quiescit. (Decret. 12 Januarii 1897. n. 3944, ad 1.)

Neque favet ipsis Ecclesiis parochialibus quæ circumiacens habent coemeterium parochiale. (Decret. 28 Aprilis 1902, ad II; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 353.)

ARTICULUS VII

DE INDULTO CANTANDI MISSAS DE « REQUIEM » ETSI RITUS DUPLEX OCCURRAT

Q. 374. *Quodnam Indultum concessum fuit 11 Julii 1872 Diœcesi Mechlinensi, pro celebrandis Missis de Requiem?*